

QK. 2,13

LV. (x 1883939)

II M
2993 c

WITTEKINDUS MAGNUS,

Publicæ luci expositus

à

CONRADO SAMUELE SCHURTZFLEISCH.

VITTEBERGAE,
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.
ANNO M. DC. XCV.







1.

Wittekindi nomen, ac non modò apud suos, sed etiam apud hostes gloriosum fuit. Fortitudo ingens, & admirabilis exemplo, jamdudum habuit pretium defensæ libertatis. Fortuna quondòq; diversa apparuit, & dispar instituto exitus.

2. Is gentis suæ Dux, animo, imaginibus inclutus, & virtute militari quasi telo nixus ad tuendam Rempubicam Saxonum accessit. De indole nomen, (a) de animi dotibus egregia consultata, de prudentia res gestæ testantur.

(a) *Plures Wittekindi ante Witeekindum nostrum memorantur. Noster cognomento Magni à ceteris discernitur. Illos exhibet P. Albinus in libro amplissima progeniei Wittekindorum, cui titulum Stambuch præscripsit. Meminerim vero hic, cautè legendos esse novitios Scriptores. In aliis credulitas notanda, in aliis major diligentia optanda. De Wittekindo Svvaalemburgio nil affero. Dasenburgius ille quoq; hic alienus est. De hoc vid. Helm. l. 2. cap. 7. Alius enim à nostro fuit. De quo prodidit quædam Arnold. Lubecens. l. 2. cap. 27. Nec hujus disquisitionis est Wedekindus Stumpenbuser, quem adfert Abb. Stad. A. 1167. Sed venio ad nomen. Hoc*

A 2

717176



revera unum, scriptio diversa. In M. Cbro. Belg. scribitur
 VVintbicbindus. Apud auctorem vita Kar. M, VVidochindus.
 in A. Franc: ad ann. 778. VVidichindus: A. 785. VVittikind.
 Aliis VVitticbindus: aliis Wedekint: Nonnullis Wittokint & mul-
 tis VVidikind. Adoni Viennensi in Cronic. Vvitichingis & Vvi-
 tigingis: Adamo Bremens. H. E. l. 1, cap. 9. VViduchind. Au-
 tor scriptiois, quæ ad oram extat, VViducrad expresit. Apud
 Marian. Scot. chr. lib. 3. art. 6. ad. ann. 778. Vindibindus.
 Haud dubie errore quodam. Ego procul odio atq; adu-
 latione tradam. Origo nominis, & ejus quidem nominis, quod
 olim ad ciendos Saxonum animos efficacissimum fuit, signifi-
 canter juxta & præclare indicat sapientia filium. Teutonicum
 vetus esset Witte Kind / vel Witthet Kind. Huc pertinent
 veterum commentationes ad vocabulum VVitta. De quo
 multa reperias apud intelligentes Teutonice antiquitatis. Tan-
 tumbic moneo reperiri, qui commutatum VVittekindi nomen
 putent à Prasule illo, ut credunt, qui fonte sacro abluit, impo-
 situm. In his familiam ducit Siffridus Petrus. Sed ne unus
 Scriptor stat pro Siffrido. Destituunt hominem monumenta,
 monumentorum fides.

3. Patria Saxo, (b) ditione Angrivarius, (c)
 origine paterna Wernekinides, (d) Princeps in-
 ter Saxonæ Principes, (e) nominis indicio pru-
 dens, omine bellator, consiliis, exemplo maxi-
 mus.

(b) Multa de hoc nomine lites. Ex solido decidit Reinec-
 cius. Post Reineccium alii. Multi etiam ante eum. Vetus sane
 Saxonum verbum, Saten / vel Sassen. Hoc indigenarum,
 hoc Aboriginum notione signandum. Argumento vox Holsa-
 torum. Idem est Holsaten / quod Holzgeessene. Sed vero
 extant, qui ducunt à Cattis. Mirum vero, cur à Cattis. Nam
 quantum Catti ab Hassis, tantundem Catti à Saxonibus dif-
 ferunt

ferunt. Qui Danorum Nordmannorumque fuisse posteros tradunt, fortasse ludunt. Explodendi, nisi ludant. Qui à cuttello Sabs, aut telo seaxes, dictos putant, lepidi magis sunt, quàm ferii. Inter hos Georg. Hornius & Johannes Troster Transylvanus extant. Ante hos VVidecbindus Corbejensis, Annal. lib. 1. Abb. Stad. ad A. 917. Nihilò accuratiores, qui à saxo, aut saxe a natura derivant, ut Chr. Isennacense, & quotquot hoc sequuntur. Nolim enim committere, ut decus nostra genti concilietur inepto nominum lusu. Gloriam ex se habet. Ab ascitis nominibus non querit; non mutuatur. Quin inter inania habet hanc curam, quæ prodiga melioris curæ est.

(C) Vetus ditio: neque angusta, & valida viris. Incola Angarii. Angrivarii alius: quibusdam Angri. In chronicis plerisque Angiri. Recentioribus Engerani. Nomen planitiem campi designat. Hic vicus Engern, ubi sedes, tumulus, insignia quondam Wittekindi. Hodie nil præter rudera reliquum. Celebrem ab eo titulum habuisse ajunt Nostro. Formula hæc est. Comes Angriae & Dynasta (Domini) Iburgi. Formulam tradit, Cyr. Spangenberg in Chro. Sax. Nec non Elias Reusnerus in Genealog. Wittikind. p. 12. præterquam quod hic addit titulum Rugia Principis. At non reperio, quid Saxonibus cum Slavis, Angris item Westphalisque cum Rugis commune fuerit. Quamquam Andreas Angelus non dubitat in Chron. Holsat. p. II. confirmare de Holsatis, eos Wittekindi majoribus posterisque subditos fuisse. De Iburgi origine tradit quadam Siffridus Petrus. Sedes ibi ad nostra usque tempora Præfulis Osnabrugensis. Arx Engerana hodie non colitur. Saltem vestigia supersunt. Atqui vero hic dispiciendum, an forma dictionis sit ex usu veteris ævi? An quadret ad antiquissimum Saxonie statum? De quo videbo alibi, & ita videbo, ut nil Wittekindo, nil Wittekindeorum existimationi, juribus, gloriæ detrahatur. Hic insitus Patriæ amor fuit hæctenus,

erit in posterum. De castro Wittekindsburg ad ripam Visur-
gis sicut vid. Chron. vetera, & Spangenb. An. 785. Nec pœni-
tenda hic opera fuerit evolvere, quicquid non ita pridem insigni
opera annotatum in Monumentis Paderbornensibus est. Ce-
terum de figura insignis Gentilitii, quod sumpsum ab Angriva-
riis est, vid. P. Albinus Statib. Utrum illud Wittekindei
& nostrates, qui ex Wittekindo per Ditgremum descendunt,
Wetbino-Mispici unquam usurpaverint, ingentis materia
disceptationis est: vid. Albinus c. 1. p. 294. & 463. Spenerus
insign. famil. Saxon. p. 24. 25. Jo. Jac. Chiffletius, alii complu-
res. Unum, quod publice interest rei, non omittendum. Am-
plissimus ille Angria Ducatus concessit in potestatem Archi-
Presulis Coloniensis. Sed quo titulo? Novum hoc argumen-
tum, eoque alibi investigandum. Vellem accuratè investigasset
autor personatus Mantissa p. 115. Ernestus Comes Mansfeldi-
us gente perinde atque eruditione insignis, in Panegyrico Henrico
Aucupi dicto p. 21. ab Seculo X. repetit, & Brunonem Ottonis
I. Fratrem primum fuisse tradit, qui Angria Westphaliaque du-
catum conjunxerit cum Coloniense Presulatu. Nolim accedere
his partibus: quin putaverim, istam conjunctionem de
Lotharingia, non Angria Ducatu intelligi oportere. Hesitatque
ipse hujus sententia autor, quum non multo post recitat aliam
opinionem, cujus summa est, quod Fridericus I. in jus atque
dignitatem illius pro dimidia ducatus parte inauguravisset
Philippum Comitem de Heynsberg, Chronica Coloniensis vo-
cant Philippum de Castro Hemesberus foriundum. Eo vid. Mo-
nach. Nuss. Chron. p. 192. & Abb. Stadens. A. 1180. Conf. Crantz.
Metrop. l. IV. p. 97.

(d) Cyr. Spangenb. Chron. Sax. A. 786. P. Albinus
Statib. Spen. Syllog. gen. hist. in famil. Wittekind. Qui
aliis Werbekin, multis Wernike, Chytreo Wernecbin scriptus
in Chron. Sax. cum latine, tum vernacule editionis. Addatur
Job. Tob. Weller. Z. R. p. 157.

(e) Recto.

(e) Rectores Saxonum primores olim dicebantur. Titulus huius nominis ex C. Urspergense & Gobelino. Scriptoribus bonis, depromptus. Urspergense, ut solet, sequitur Abb. Stad. A. 777. Sape Dynaste. Nec raro Satrapa: aliquando etiam potentes Regionis dici solitos, pro certo habeo. Quod ostendere est ex Beda, Niemio, Frodoardo, Rolevincio, Chron. Osnabrug. & Mindensi, quibus multum tribuo in hac causa. Dittmarus Merseburgensis, qui regis elogio ornat, corrigendus ex annalibus Francicis & Wittekindo Corbeja Monacho est. Ceterum divisi Saxones erant. Pars adepti Ostphalorum sive Orientalium nomen; Pars Westphali sive Occidentales appellati, Alii Angrivarii memorantur. Saxones egressi trans mare huc non pertinent: Regnum enim condiderunt, non rem publicam, quatenus a regno distinctam. Hinc ortum antiquitus Saxonis transmarina nomen, idque hoc loco alienum, quia Angliam denotat. Redeamus ergo ad nostros, qui non migrarunt in Britanniam insulam, ac patriis a deo finibus se continuerunt. Tres Principes Gentis audiunt apud Monachum Corbejensem. Horum alii aliam Gentis partem moderati. Horum diversa sedes, diversa quoque Respublica fuit. Suum quoque jus imperandi proferebatur. Nulla ab alia pependit. Sua singulis suprema potestas, suprema statuendi facultas. Quamquam alia rogare aliam subinde & asciscere in foedus poterat, imperare tamen nunquam poterat. Imperii administratio non dissimilis apparuit. Hac proceribus commissa. Eodem apud omnes instituto, eadem ferme juris forma. Idem Procerum numerus apud Angrivarios, qui apud Ostphalos & Westphalos. vid. post VVitichind. Beda, Crantzius, alii. Winckelmannus, nescio an sagaci conjectura, moris huius vestigia ex Tacito deducit: Notit. Saxo - Westphal. p. 200. Apud singulos eorum tres Principes viguerunt. Nec pauciores admissi, nec plures. Res certa de illis. De his eousque, donec ordinariis

Rei-

Reipubl. regenda momentis standum esset. Bello laceffiti præter hos extraordinarium belli Prætores designarunt. Hic forte electus, nec nisi tempore ingruentis publicæ calamitatis. A populo, dubium, an Proceribus æqualibus. Hoc Meibomio in Vindiciis Billinganis: Illud mihi videtur. Extra ordinem illud munus erat, & cessante belli causa quoque cessaturum. Vulgo Tetrarchas (quod Ciceronis, Salustii & Velleji ex Græciæ mutuo sumptum vocabulum est) nominant. Hos quantum capio, vel seorsim numerant, vel summam. Illo modo IVros, hoc XLVros signant. Sed id non perinde certum atque dictum. Dictum verò à multis. Scriptum à Cyriaco Spangeb. Chr. Sax. A. 772. G. Fabritio, auctore Mantisse ad Inst. Pacis, Georg. Christ. Stirnio, aliis. In hanc rem allegant Chron. Anbaldinum, quod hæcenus non vidi. Plura tamen vidi, edita partim, partim non edita, in quibus nil tale reperi. De cætero extraordinarii illius Ducis administratio paulo liberior, & ut in schola loquuntur, absolutior erat, quam eorum, qui ordinarium gerebant magistratum. Presinita tamen respectu temporis, ut auctor gravissimus est VVitechindus, & post hunc Crantzius in Sax. l. 2. p. 45. & Henricus Bunting. in Chr. Brunf. p. 27. Hos primores comparavit Albinus in auleo Vet. Sax. cum Ephoris Spartanorum. Cum illo facit Fabricius, qui ferè æquavit Tribunis Romanorum. Id vero non ausim in solidum probare. Causas dicere malo, quam scribere. Qui eos cum Electoribus Imperii conferunt, digni sunt, cum quibus exoptuletur. Sed hæc nemini non sunt obvia.

4. Publicè quoque egregius, nec minor privatus, eundem domi, quem militiæ animum habuit. In prælio cautus, in castris promptus, sub pellibus nunquam timidus, nunquam otiosus. Patiens idem juxtaque impiger, & quan-

to

to minùs inter lautitias enutritus, tantò magis to-
lerans aduersorum. Dignum Heroe Saxonico
exemplum. Dignum, quod admirentur poste-
ri, dignum, quod Saxones imitentur. Quid vero
opus svadere? Me non svadente imitati sunt, * me
non svadente imitabuntur.

* *Dabo hic Fridericum strenuum, qui solus sustinuit nu-
tantes res Sigismundi Imperatoris. V. T. VII. H. Aug. p. 405. &
monumenta Oschaziensia: Albertum Animosum, Principem
Camillo excelsores, cujus res praclarè condidit Michael Bo-
jemus, & versu scripsit Conradus Wimpina, ac praeter hunc
Michael Barth. Annaberg. l. 2. p. 40. & 41. Fridericum III. cu-
jus & industriam, & consilii solertiam approbarunt omnes,
quum rationes representaret concinnanda imperatoria san-
ctionis, qua velut dominatus frano tenerentur juveniles
Caroli V. spiritus: ap. Sleidan. l. 1. Comm. ad A. 1519. p. 15. &
17. coll. Mauritium, qui unus Karolum V. plus ultra tenden-
tem stitit in cursu victoriarum, stitit in via dominationis.
Eumq; vindicavit aduersus criminationes Johannes Frideri-
cus Brandt, Cornelius Crullius, aliq;: Augustum, ingenii ac
regendi artibus maximum, cui Ferdinandus I. idem quod Pa-
renti debuit, quemq; in fratris loco habere non piguit Maxi-
milianum II. vid. Peccenstein in Wittik. prosap. in Aug: Jo-
hannem Georgium I. Caesari fidum, quoad fides & fortitudo
estimabantur: Dignumq; cui ille à septentrione heros Gusta-
vus Adolpbus dextram fidei religionisq; ad ultima tuenda te-
stem jungeret, imò quem jure iratum non multo post demere-
retur iterum Caesar, ac filius ab Augusta stirpe editis Praga re-
presentaret ut Patrem, ipse verò coleret denuò ut amicum, &
appellaret suam.*

5. Cæterum Wittekindus Dux & autor Sa-
xonicae libertatis, vinci aliquando potuit, domari

B

nun-

nunquam. Quippe vehemens & proposito in-
super firmus, & tenacissimus aviti moris, fortu-
nam, fortunæ ictus omnes elusit. Nulla re ma-
gis irritatus, quam ob violata sacra suæ gentis. (f)

(f) Eginhardus cap. 7. de vit. Carol. M. Vb. Emmius
Hist. rer. Fris. Cyriacus Spangenberg. A. 772. Chron. Thuring. &
Merseburgense, à Merseburgo VVestphalia oppido appellatum.
Inter exempla fanum Frimensule, quo diruto, concitatus ma-
gis in hostem est. De eo vid. Regino Chr. lib. 2. ad A. 772. Fa-
num id Eresburgi (aliter Merseburgi) positum, Reginoni Her-
mensaul appellatum. Addatur Lamb. Schafnaburg. ad ann.
eund. Abb. Stadens. ib. Ant. vid. Kar. M. p. 237.

6. Pater ei Wernekinus, (g) Princeps mi-
nimè factiosus, & retinens pacis. Frater Bruno,
similimus Patri, idemq; creditus Augustissimorum
Stirps Ottonum. (b) Wernekini ex fratre Adel-
hardo filius Albigo (i) Wittekindo rebus secundis
adversisq; socius, & heros ut vultu, ita fide semper
idem. Neq; tacuerim de Hermanno fratre Al-
bigonis. Uterq; ruentem propinqui fortunam
fulcire ausi. Nusquam ignavi, & nitentes pro
salute nostri. Quidvis etiam passuri potius, quam
intercidere dignitatem suæ gentis. His factum re-
bus est, ut manu, armis, consilio experirentur pro
necessario, pro suis, pro se ipsis. Omnium ma-
ximè eluxit industria Albigonis. Hic Wittekin-
dum defendit, Wittekindus illum: Uterq; utriq;
fidus. Velle idem: nolle idem: causa eadem,
nec opera dissimilis.

(g) De-

(g) De familia videas licet, ubi familia originem teximus. Est tamen aliquid hic observatu dignum. Quod ea pertinet, ut sciamus, certe summa ejus capita sumi ab avo Carolino. Ante hoc fuisse stirpem Wittekindi. Floruisse etiam. Sed de fuisse, qui recenserent diligenter, qui seriem tradere accurate. Adeo dolendum, quaedam praesumi, alia colligi, pauca sciri ante Karolingicam aetatem. Sed fatum illud antiquorum seculorum fuit, ut aut exteri scriberent de Saxonibus, aut hostes. Ibi invidia, hic inscitia laudes gentis obscurata. Illustranda demum, si Saxones Saxonum res gestas tradidissent. Sed alio loco recitandum de hoc argumento est. Hic delibasse aliquid sufficit. (h) Autor sententia Agricola. Hunc Fabricius, Fabricium ex novitiis multi sequuntur. Praeter illos in eandem adducti sunt opinionem Cyr. Spangenberg. Georg. Spalatinus, Dav. Chytraus, Mart. Crusius, Christoph. Entzelius, Leonb. Crantzheimius & complures. Ab his dissentiunt Monachus Pirnensis, Irenicus, Brodusius, Crantzius, autor Chron. Veteris Brunsvicensis, Chron. Provinciale Misniae, Guttenberg, Beutberus, Elias Reusnerus, ille vasti Stemmatum Wittikindei Conditor, qui Ottones Augustos à Brunone, non fratre, sed nepote Wittekindi M. deducunt. Interim videatur Genealogia Alberto Stad. inserta ad p. 115. quae ex probatissimis contexta autoribus est. Caterum Wittekindi M. pronepos est Luitdolfus, qui vulgo Ludolfus, Pater Ducis Ottonis Wittekindi Abnepotis, Otto iterum Henrici Aucupis, Henricus Auceps Ottonis M. Imp. Testatur hoc Mon. Corbejensis: addatur Sigebertus praeter eum multi. Luitdolfum autem per Walbertum Patrem & Wichbertum avum recta serie proficisci à Wittekindo, vel ex solo Abb. Stad. A. 917. constabit. Addatur Ernesti Comitis Mansfeldii Oratio panegyrica p. 4. Alios allegare supervacaneum. Unum addere non piget, primum stirpis non Wittikindeae Ducem in Saxonia fuisse Hermannum Billingum. Ub. Ermio Hermannus Billichius

audit, bist. rer. Fris. l. VI. A. 1110. Rectius Billungus, sive Bullingus, Ducatu ab Ottone M. donatus. Ultimus Billingorum nomine Magnus, sine prole mascula defunctus. Abb. Stad. A. 1106. Conf. And. Severinus Vellejus Not. ad Adamum Brem. H. E. l. IV. cap. II. Notat hic Spenerus, Ottonum M. de sua familia minus meritum bene, in Insignib. Saxon. sect. 1. §. 7. Excusat id verò Meibomius in historia Bardevici. De quo alio loco judicandum. Non satisfacit hic P. Lambecius, quum Saxonia primum Ducem vindicat Billingium. Cum jam multò ante Saxonia habuerit Duces. Non attingo, quomodo ibi impingat in novos scopulos, & turbet rivos publici Juris L. 2. Rer. Hamburg. p. 4. Sed mitto Billingos. Revertor ad Wittikindeos. Atq; hic mirari subit novitios, qui tradunt, Henricum Aucupem Regem, atq; Ottones Imperatores minus verè à Wittekindo arcessi. In his numerandus auctor Not. Rer. Imp. Rom. Germ. p. 1. d. 20. p. 369. Unicum illi presidium in silentio Wittikindi. Sed minimè duraturum, cum in rebus ad historiam pertinentibus non facile, quod à silentio colligit, admittatur. Hoc minus, quòd pro nobis stant annales, Chronici libri multi. Aliud scripsisset, si vel solum Fabricium Albinumq; legisset. Ut nihil de antiquis commemorem. Nec movet nos, quòd recentiores pleriq; multum dissident à nobis. Faciunt quippe contra alii nobiscum: in primis ex recentioribus Philippus Jacobus Spenerus in Syllog. Geneal. Hist. sub tit. Familia Wittikind. Saxon. Cateroquid est non nemo occupatissimus animadversor originum Germanicarum, qui dubitare hic mavult, quàm obstinatiùs negare. Qui cur ex eo, quòd Detmarus de serie hujus generis tacet, nil adversum nobis inferat, facile est intellectu. Sape enim praterunt historici quedam, non quòd negent, sed quia, ut se res dant, aliò flectunt stylum. Addo hic de Crantzio, non satis sibi constare, cum memorat, Henricum Aucupem primo omnium titulo Ducis Saxoniae præsuisse. Et tamen jam diu ante Henricum

ricum

vicum Saxonia praeferunt Duces hoc titulo, hoc jure, his insignibus. Nempe describere alios, oblivisci sui, perperam allegare quaedam, Cyantzio non rarum. Unum caperem Wittekindum Corbej. legisset. Aliter, opinor, scripsisset.

(i) Albigo, aliis Albigio, nonnullis Albio, multis Albion, Germanis Chorographis Alwig, vel Adelwig. Quibusdam Abbion vel Adaiion signatus. Cyr. Spangenberg. An. 785. Ejus insigne extat apud P. Albinum Stamb. p. 450. Ubbo Emmius, cetera probatus scriptor, & ut observo, optima Chronica secutus, Wittekindi fratrem vocat. Minus verè, nec in hac parte excusandus, nisi figurà quaedam locutus.

(k) De exitu hujus memorant varii. Cæsus in octava Karoli M. adversus Saxones expeditione. Bouckholt locus stragis. In vetustissimis annalibus Botolz lego. Legunt tamen alii Bobbot. vid. Aue. vit. Kar. M. p. 244. Spangenberg. Baucholtz reddit. Nec in scitè. Genius hic Tiotismi cultioris est. Videatur is ad A. 779.

7. Generis, quod in nostro se extulit, duo extiterunt munimenta, Wittekindus II. & Wichbertus: (p) Una horum mater, Suatana celebratur, progenies Czechi. Hæc altera Wittekindi Magni uxor: altera, cui Evæ nomen, jam ante accepta est à Cimbris. Summam vero Pater operam posuit, ut filii redderent Patrem. Præcipuum sollicitudinis argumentum erat, disciplina. Bello iter ad gloriam ostensum. Materia virtutis sive in pulvere, sive ad palum crescebat. Hinc fingendis animis robur: Hinc firmandis corporibus grande adjumentum venit. Patri curæ, filiis obsequii pretium insigne redditum fuit. Imitamini Principes.

Enitimini, exemplum exprimatís exemplo. Si
omnia ruant, hoc solo vitabitis ruinam. Stabitis
invioti, stabunt Principatus. Florebitis. Vos:
florebunt Vestri, florebut posteri Vestrorum.

(1) *Ambo honesta progenies Patris. Fædat Niemiús
banc laudem. In ruborem dare Niemiúm quilibet potest.
Genuit honestè filios Wittekindus. Genitos bello, patientia,
optimis in magna fortuna artibus effecit. Spurium nul-
lum habuit. Habuisse verò asserit Niemiús. Sed nugatur,
mentitur Niemiús. Vel solus Witechindus Corbejensis suffi-
ciat homini coarguendo. Uxores habuit duas. Prior Eva,
Danica stirpis. Hinc Patrem vindicant Gormonem I. Si ta-
men vindicant rectè. Alii designant alium. Plurimis gen-
itor Gottricus Gormonis, si probe tradunt, filius. Hic multis
Gottfridus appellatur. Nonnullis Seifridi, & si paulum in-
flectas, Sifridi nomine effertur. Autorem habemus Svanin-
gium, qui ut aliás Scriptores sua gentis, ita hic fortè Albici-
um secutus est. De nominis varietate excipi assensu senten-
tia potest. Cateroquin suspectum, quod de Gormone I. tradi-
tum. Chron. Dan. An. 757. ex Saxone Grammatico, & Huit-
feldio. Suspecta mihi Saxonis, & qui Saxonem hic colunt,
fides. Rectissime Emmius, Frisiorum doctissimus, pronuncia-
vit dudum, Saxonis Sialandici annales, præsertim de seculis
illis priscis, Poësin magis, quàm historiam sapere A. C. 809. Id
optarem quoque expendisset Petrus Lindeberg in comment. rer.
memorab. ex bibliot. Ranzov. cum de monumento Frotonis
differit. Quid de monumento Gormonis III. quod idem ea-
dem libro exhibuit, sentiendum sit, promptum est judicare eru-
ditis. Parum ergo præfert certitudinis, quod promitur de
Regibus Danicis ante Gottricum. Ut vero sit mihi simile, E-
vam Gottrici Filiam fuisse. Evam scribimus in contextu o-
peris. Alii Geram scribunt, ut Cyr. Spangenberg. Ant. Al-
bizius,*

bizius, Hen. Buntingus, novitii complures. Sed scribant, nos
estimemus antiquissimum utriusq; gentis decus, amicitiam à
multis seculis cultam, necessitudinem matrimoniis ab ultimis,
quantum recordamur, temporibus innixam. Nempe jam
olim Danis Saxones, Saxonibus Dani connubio juncti. Re-
petitum novissime sancti fœderis exemplum in Sereniss. Jo-
hanne Georgio III. est. Posterior conjux Suatana (alus Sva-
terna) Ducis, ut tunc erat, Bobemiti filia. Hujus & auspi-
catum, & fœcundum matrimonium fuit. Quod ex Eva ge-
nitum, prematuro ereptum exitu est. Ex Suatana major
natus Wittekindus, Patris sui cognominis filius. Vulgo Wit-
tekindus II. ut locus discrimini esset, appellatus. Alter Wig-
bertus, alius Wigbrechus, alius Wipprechtus. Idem ejus no-
men. Forma literarum nominis saltem diversa. Utriq; uterq;
legitimus Parens. Origo eminens, vita ceteris exemplum,
fortitudo supra fidem, matrimonium sanctum fuit. Hone-
stus Pater, honesta mater, non nisi honestam procreare sobo-
lem possunt. Qui negat, ut criminetur, improbus, qui ne-
scit, & eructare tamen Niemianas ineptias audet, omnium
ineptissimus debet censerì. Sed unum tacere hic nolim, Wig-
brechtum Hasala germanum fratrem, quod ex Eva suscepit,
non esse confundendum cum Wigbrechtu Wittekindi II ger-
mano. Quod si ignores, facile nebulas offundet Chron.
Brunsvic. Henr. Buntingi, p. 26. Propterea hoc distinctè expe-
divit Albizius in genealog. Ottonum.

8. Libera quondam gens, liberi mores gentis
viguerunt Populus belli alumnus, propago po-
puli Martia, Respublica popularis. (m) Proce-
rum magis consilium valuit, quam imperium.
Munus, quod gesserunt, legibus circumscriptum,
potestas à populo, autoritas à bello fuit. Nul-
lum jus heredibus innixum. Prætura belli collata
ad

ad tempus. Res Imperii in concilio populi deci-
sæ. Regiminis firmamentum populi iustus, Pro-
cerum cum populo consensus. Hoc veteris Saxo-
niæ ingenium erat. Caruit regibus antiquissimo
illo ævo. Seqviori demùm tempore auditum
nomen regum, usurpata regia potestas, (n) Acciti
à Saxonibus reges. (o) Nec reges modò, sed etiam
Imperatores.

(m) Pugnans cum historia, quæ ad hoc argumentum
recensuit Siffridus Petrus, præter hunc Novitii quidam. Ille
diplomata allegat manifesta falsitatis. Saxonia (vetustissi-
ma illi) Dominos imponit præter verum. Hereditarium in
Saxones jus defendit contra annalium fidem. Wittekin-
dum beneficiarum facit nullo veritatis argumento. Eun-
dum funibus vinctum ad Carolum venisse, non memorat, sed
fingit. Excussit jam olim sententiæ vanitatem Emmius in
Apolog. refut. & verit. assert. Sed in proclivi est refellere sen-
tentiam Siffridi. Nobis assentiuntur omnes probi Scripto-
res. Diplomati Siffrideo diplomata opponimus, sed quæ sint
sine novo. Nova illa & plena commentis vitioruunt suo. No-
stra invicta sunt, & secunda adversus ruinam.

(n) Quæ Tacitus in parte libertatis, liberorumq; comi-
tiorum, de Germanis, ea nos de Saxonibus affirmamus. De
illis jam dudum Conringius, post hunc novitii, novissime Mul-
tzius cap. 6. in diss. de libertate, ut inscripsit, omnimoda expo-
suit. Nobis reddere scripto, quæ scripta ab iis sunt, præter in-
stituti leges visum. Ut Saxonum eadem, quæ cæterorum
Germanorum, ita nec diversa Frisiorum, in doles fuit. Utro-
biq; liberos gentis spiritus observo. De Frisiorum ingenio mo-
numenta suppetunt multa. Res imperii omnes voluntate
popu-

populi gesta. Argumenta in comitiis, quæ dicebantur, Upsal-
bomicis plenissima lucis, plenissima libertatis. Signavit ea Ulb-
bo in Fris. descript. In Comitibus late leges. Idem legibus, quod
Comitibus inditum nomen. De his ex Ulbbone monuit Conrin-
gius c. 28. de Orig. jur. Germ. De Saxonibus addere non vacat.
Tantummodo meminerim, cur Tacitus nil prodiderit de
Saxonibus sub nomine Saxonum. Cum non multò post de iis
recitaverit Ptolomeus. Sacarum enim illud Saxonumq; no-
men haud dubiè Saxonum est. Aucta enim Sec. IV. nominis
fama, aucta gentis gloria in immensum est. Interea sufficiat
Saxones Tacito sub titulo Cberuscorum atq; Angrivariorum,
innotuisse. Videatur A. I II. XI. XIII. & lib. de Mor. Germ.
Nempe II. & III. Seculis respirarunt à bellis nostri Saxones, do-
net Sec. IV. sub nomine Saxonum negotium facerent Roma-
nis: sed hæc & id genus alia diffusè persequimur in Historia
Germanica MSpta.

(O) Palam est, Henricum Aucupem Saxonem, & pro-
gnatum Wittekindeis Regem fuisse. De Rege hoc Albertus
Abbas Stadensis pronunciat hunc in modum. Natus est Ot-
tonifilius nomine Henricus, qui primus liber à potestate regna-
vit in Saxonia. Ann. 917. Nec eo secius manifestum, Henrici
posteris in fastigium Imperatorum subvectos. Ut rectò scripse-
rit, quisquis tandem nuper Gallicè scripsit, Saxoniam Di-
mum ab ultimo tempore augustis decoribus fundatam pro-
vectamq; esse, Vid. suite de Europe Vivante, sub tit. SAXE.

9. Respublica, reipublicæ facies, regendi
rationes ostensæ Habet posteritas, quod æsti-
met, habet quod miretur. Rector ibi populus,
defensor populi Wittekindus, Dux fato mon-
stratus, & à cladibus ad majorem impetum sur-
recturus. Idem huic, quod populo, odium ser-

C

vitu-

vitutis: idem amor libertatis. Una meta, aut vincere, aut mori. (p) Heros, si non hostium semper, tamen fortunæ domitor suæ. Nunquam à se diversus. Idem victor, qui victus: excipere pericula & ferre paratus. Inter adversa constans, & firmus contra ambiguos eventus. Animus in dubiis major, impetus vehementior post stragem notatus. Alii expectare pericula, ipse provocare maluit, nullo territus casu, nullo metu depressus. Audere, experiri pro suis, inferre hostibus gradum, irruere in obvios, perrumpere ordines militares, eximium fortitudinis apparuit monumentum. Demùm permittere fatis, exitum, constantiæ juxta & patientia argumentum fuit. Hujus complecti res gestas arduum multis, vix possibile aliis est visum. Mihi excusatio à conatu, votum pro viribus erit.

(p) *Verba Legatorum Saxonorum apud Wittichindum.* Aliam, inquit, causam nullam Saxonibus esse scias, nisi vincere velle, aut certè vivere nolle. Huic majorum virtuti, si quisquam, institit Wittekindus, Dux suæ gentis. *Scriptores rer. Francic.* Et qui hos sequuntur, multò aliter, quam volumus, actiones Wittekindi interpretantur. Nunc fidè well cant, nunc rerum novarum studium, nunc deniq; tyrannidè exprobrant, A. Fr. 778. 782. sæpe toti genti imputant, quod alii uni Wittekindo A. 775. Conf. Ad. Bremens. l. 1. cap. 9. Abb. Stad. A. 775. Et 782. Nempe subsidium ab armis, ultio ab amore patriæ

patriæ profecta est. Disertè scribit Abb. Stad. Saxones non prædandi occasione, sed ulciscendi Francorum terras populosos esse: A. 778. Et reperias nihilominus Scriptores, qui imbecillitati indulgent, nimis acuate odium odio pagana religionis. Sic frustra sunt, qui rebellionem exponunt, cum quis nititur contra dominatum, cum pertinacissimè insistit suo juri. Dandus religioni honor: nec tamen propter eam justitia illudendum.

10. Wittekindi initium felix, dignitas magna, nec pejor progressus, exitus saltem, si divina spectes, felicissimus fuit. Carissima Duci libertas suorum: servitus subinde metuebatur. A tributis tædium, à vexationibus odium nascebatur. Exempla majorum animo inhærebant (q) præsentia oculis obversabantur. Spirabant bellicum Franci. Prætexebatur religio; (r) forte dominatio tegebatur. Factum his rebus est, ut qui olim colebant amici, (s) jam hostes in se grassarentur. Nempe fatale erat Saxonibus Carolingorum nomen. Nihilo mitius omen in Merovingis habuerunt. Auxilium offensâ, beneficium odio quandoque repensatum.

(q) Sufficiat nominasse Theodoricum Regem. Hunc defenderant adversus Thuringos: Sed mox exiit Francus fidem, jamq; conspirat cum Thuringis. Mox deliberat de Saxonibus opprimendis. Oppressisset, nisi Saxones rescissent dolum. vid. Monach. Corbej. Ann. 1. Et ex eo Albin. Stamb. p. 38. Etiam liceat referre de Dagoberto. Quod in fide Theodorici, in hujus mansuetudine desideramus. Produunt de ejus in Saxo-

nes crudelitate Wern. Rolewinck in Fascie. temp. Sext. et. & Sigebertus Gemblacensis ad A. 630. Qui tamen paulò ante, quàm vivis excederet, tributum Saxonibus remisit, ipsorumq; auxilium accivit adversus Slavos, id. ad A. 642. incusat tamen ex Amoino Saxones Goldastus de reg. Bob. l. 2. cap. 2. p. 109. Nempe incusat non servata fidei: imò & ego incuso Francos non servata moderationis: Non desunt cause nostræ subsidia firma: Sigebertus quoq; incusat Dogobertum expilatarum Ecclesiarum, & mira quaedam, licet non sine superstitione, memorat de iis, quæ acciderint post obitum hujus regis, ad A. 645. De Carolo Martello, qui sub titulo Præfecti regiam complexus potestatem est, memorant A. Fr. A. 737. Hic vectigalem fecit gentem. Martellum sequitur Papinus, & novum tributum imponit. A. F. 758. Acerbum hoc genti, & planè intolendum. Propterea indignari, mox uleisci, & excurrere in Francici regni fines, & prædas agere cæpit. Scriptor vitæ K. M. anonymus tacet hanc causam, dixisse contentus, Karolum in comitiis Wormatiensibus decrevisse Saxonibus bellum. Idem asserit Scriptor, qui condidit Francicos annales. A. 772. Ceteri annalium Scriptores eadem penè verba retinent. Retinet Monachus Prumiensis in Chr. A. 772. Abbas Stadensis vocibus saltem paulùm mutatis reddit auctorem annalium Francicorum. De reliquis non attinet monere. Tantummodò Eginbardus, sanctior Karoli M. scriba (non gener) hanc sibi vindicat laudem. Is belli initium signat, causam exponit de vit. Karol. M. cap. 7. Eginbartum descripsit Adamus Bremensis H. E. l. 1. cap. 6.

(r) Gratum DEO pignus, pietas: sancta nomina, religio, dignitas sacrorum. Valent in toga, valent in sago, momentumq; habent apud defensuros. Invadendi titulum non prebent. Prohibent literæ diviniore hunc abusum. Propagandi Imperii artes à prudentia, jus, juris titulus à justitia depro

depromuntur. Est belli fas, pugnare adversus hostes. At quomodo hostes? qui injuriam inferunt. Hanc ulcisci gloriosum, propulsare, honestum. Religionis certe obtentu capeffere bellum, exuere fortunis gentes, injustum. Jam babes, quod judices de bello Karolino. Praecipuam hujus causam à Religione arcescit Eginhardus. Bellum, inquit, susceptum est, quia Saxones, sicut omnes ferè Germaniam incolentes nationes, & natura feroces & cultui Daemonum dediti, nostraeque religioni contrarii, neque divina neque humana jura vel polluerent, vel transgredi in honestum arbitrabantur. Haec tenus Eginhardus: totidem verba retinet Magister Adamus. Ferociam, miror quod imputet. Iisdem sanè coloribus alii depingunt Francos. Rodericus postulat crudelitatis. A multis emulatio obicitur. Sed fuerint feroces. Fuerunt autem, cum depellerent servitutem, cum assererent libertatem. Nil prodest causa Francorum. Belli certè justitia non sufficit. Percurras, quae velit, capita Fecialis juris. Manifestum erit, quod diximus. De cultu Daemonum fateor grandem errorem, & recitatu fœdum. Colligo hinc peccasse in DEUM, quatenus natura cognitum, violasse partem juris insiti, recessisse à praescripto religionis naturalis. Atqui vero hic pro Eginhardo argumentum, novus bello Carolino titulus? Imo titulus. Satis speciosus pro justitia armorum. Si modo satis solutus & suffecturus tante mole. Esto verò genti gentis causa permissum, vindicare publicum DEI contemptum, quatenus religioni naturali adversum. Negabunt Saxones, se contempnisse. Ut qui pro sacris suis tentare omnia, mortem oppetere ipsam non recusarint. Stat pro Saxonibus Adamus Bremensis, ante hunc Wittichindus Monachus. Qui per exprimit significanter affectum eorum erga sacra, dum veneratione veneratos scribit. Superstitiosa quidem devotio, sed non conjuncta cum contemptu DEI, multò minus cum injuria Francorum. Si

tamen statuerunt in Francos exempla poenarum, reddere jus
juri aut ut ipsi arbitrabantur, rependere injuria vicē, ac suppli-
cia supplicis ulcisci voluerunt. Nam quae apud Francos religionē,
apud Saxones labem habebant: quae illis sacra, his profana
videbantur. Documento sunt Fresones, vetus Saxonum po-
pulus, qui Bonifacium A. 754. non ob aliam causam pereme-
runt, quam quod predicasset contra sacrum avitum, contra
institutum majorum. An. Fr. ad. b. A. Ut non magnopere sit mi-
randum, cur Wittekindus dato ab antecessoribus exemplo gra-
satus sit in Francos cur persecutionem, ut dicitur Brumense
l. 1. c. 9. moverit in Christianos. Sed aliud contemptus docu-
mentum à verum creatarum cultu. Imo non contemptus, sed
cognitionis, sed cultus DEI naturalis, licet plurimis errori-
bus intermixti. Argumento sunt tot numina, tot numinum
nomina, tot templa apud antiquissimam hanc gentem. Unum
dolendum, quod recta non ierint via ad cultum, quod veri
Numinis investigationem suspenderit, quod recta rationis in-
quisitioni obicem posuerint, quod fingere denique multa malue-
rint, quam indagare. Negligentiam sciscitandi incuso. At
multum distat negligentia à contemptu. Ingemiscendi hic neces-
sitas mihi, non Francis inferendi belli. Sicut verò id de religio-
ne naturalis haec tenus, ita de Christiana omnium constat evi-
dentissime. Toto errant caelo, qui ad ledendas gentes, ad
cienda bella, ad exuendos fortunis suis populos traditam pu-
tant. Rectissime in hanc rem jam olim pronunciauit Cajeta-
nus. Verba Grotius habet. Quod temerasse divina humanaque
jura recensuit, ad pacta forte an spectat. Sed quae pactorum
speranda fides est, cum mutua amulatione rumpuntur? Cum
exempla adsunt ab altera parte ruptorum? Cum augentur
amulationes, cum injuria cumulantur. Multa in recessu habent,
quae hic prodidit Wittichindus. Saxones, inquit, variam fidem
Francorum experti. Quod de finibus conturbatis cum ap-
plau-

plausore Bremensel. i. H. E. c. 9. recitat, habet pondus. Nisi tamen haec Saxonum facta presumpto cuidam juri innitantur. Lis de consimbis erat. Jus Franci allegabant Saxones non secus. Hoc nomine fiebant caedes, rapinae. Non à Saxonibus solis, sed, ut autor Eginhardus, vicissim. Qui legem ferret? Uterque populus liber erat. Arbitro utriusque delecto opus fuit, cum neuter invito alteri limitem ponere posset. Quae enim parvis potestas in parem? Sed fortasse hic latuit arcanum Francorum. Romulus sane nullos regno suo fines ponere voluit. Ut nunquam deesset materia bellandi. Callide satis, si satis iuste. Hoc certe est effectus causam belli, non habere. Multi haud secus suspicantur de Francis. Demum hic notari velim, differre quaestiones de bello Saxonibus inferendo, & de illato. Ibi Francorum jus, hic fides praebet materiam reprehensionis. Huc digitum intendunt Regino. 778. An. Fr. A. eod. & 782. 793. Ubi rebellandi consuetudo Saxonibus, tyrannis Wittekindo exprobratur Eodemque pertinet, quid Abbas Stadensis imputat crudelitatem in Christianos ut quibus vim, arma gladium intentasset, A 788.

(S) Tempore Valentiniani Imperatoris copias, vires, consilia junxerunt adversus Romanos. Richimeri aro Francis auxilia summisserunt. Illi his adversus Thuringos, hi illis adversus Gothos. Unus fidem faciat Wittichindus. Saxones, inquit, summa pace quieverunt, societate Francorum atque amicitia usi. Sed ut omnia, ita amicitiae quoque mortales. Facessit saepe amor in odium, cum nulla ex amore utilitas, contra ex odio quaestus speratur. Prima odii, post odium dissidii causa emulatio. Invidebant Franci Saxonibus laudem bellicae virtutis. Ita metuebant potentiam, rati non profuturum in rem suam, tam potentibus amicis uti. Hinc Regi Theoderico à suis in os dictum, à Saxonibus olim ruinam Imperio Francorum imminere, ut qui indomiti essent, juxtaque invicti. Hinc redacti

daſti ingratiam Thuringi, Saxones pro hoſtibus habiti. Hoc
Thiadericiana fidei gratitudinisq; ſpecimen fuit. Wittich, Ann.
I. Laudat P. Æmilius ſuos Francos. Ego meos Saxonas. Hi
apud Marcellinum Romanis formidabiles, apud Diaconum ter-
ribiles, Francorum ipſorummet ſententia preſtantes corpore
& animo viri audiunt. Sententia ſummam habet Witichin-
dus. Nil defuit genti in parte fortitudinis. Sola defuit pietas
Chriſtiana. Atq; vi hæc ſvadenda, non armis incutienda erat.
Invitare, obteſtari, monere per Antiftites, pulchrum & pium:
Vim, minas, ferrum adhibere, illicitum erat & iniquum. Unum
vel in tranſcurſu hoc venit in mentem mirari, cur Eginhardus
preter id, quod Saxones turbatorum finium accuſat, non aliud
cauſe Francorum preſidium q̄erat. Querere autem forte
potuiſſet in capite denegati tributi. Quod ſuperiori tempore
impoſitum, nunc detrectaſſe Saxonas, non ſuſpicaberis ex va-
no. Adeo obtendebant cauſam libertatis, quam vel vite redi-
mere jactura, pro glorioſo habitum. Primò pernicioſa genti
obſtinatio. Mox ſalutaris, ad ultimum orbi Chriſtiano profu-
tura in exemplum. Quam enim difficiles recipiendis Chriſti
ſacris, tam retinendis poſtea conſtantes fuerunt. Veneror
cœleſte arcanum, dum principium contemplor & æſtimo even-
tum.

II. Res à ſuis repetenda principiis eſt. An-
nus agebatur ſupra ſeptingentimum primus &
ſeptuageſimus, initium amplificandi Francorum
regni. Deceſſerat vita Karolomannus, Karoli,
quem titulus magni illustravit, frater. Sic fa-
ctum, quaſi fatiſ ducentibus, ut regni moles re-
diret ad unum, Karolo ſuppeteret materia cref-
cendi. (1) Principiò res domi ordinatæ: tunc de
exte-

exteris cogitatum. Regnandi auspiciū à pietate cœptum est. Inde propagandæ ardor Religionis inflammavit Regem. (u) Habitæ consultationes sequenti anno, & Wormatia Comitibus delecta. Deliberandi argumentum Saxonici mores sumebantur. Ordines, Purpuratiq; omnes, & populus universus, belli, quod Saxonibus destinabatur, consilium probant. Causa persuadendi non una. Erant, qui referrent, Saxones sociorum jure abusus. Alii causabantur, Christiani interesse exempli, ut fana extructæq; ad fœdos cultus aræ diruantur. (x) Dirui autem non posse sine bello. Vertere in hoc DEI, Regisq; honorem. Consilio respondit decretū. Mox sumpta arma sunt & in Saxones conversa.

(r) *Abbas Stadenfis scribit. Karolus capiendum ex integro Regnum intendens animum, in villam Corbanacum venit. A. 771. Hactenus regnum inter fratres divisum erat: Carolus Noviomii, Carolomannus Svesione regium insigne capit. Aut. vit. Kar. M. A. 768. Nunc sublato fratre, solus rerum potitur.*

(u) *Poeta Vetus A. 775. Hinc statuit, requies illis ut nulla daretur: donec gentilivitu cultuq; relicto, Christicola fierent, aut deleverentur in evū. Nec potuit inficiari hoc Abb. Stad. A. 775. Si utriq; fides, immite Caroli consilium fuit, & certè præludium Hispanici moris. Cujus in India documentum integra gentiū excidia præbent. vid. Bartholomeus de las Casas, Episcopus Hispanus, in descript. Ind. Latine, & non ita pridem Germanicè edit. Neque hic ab uno alteròve ad omnes, à Canibalis,*
D de

de quibus est in Christoph. Columb. navig. cap. 87. & 88. Ed.
Basil. ad universos Indos colligere licebat. Sed tam facile pre-
posterus ille ardor in sevitiam desinit, cum debuisset in comita-
tem. Nempe homo Carolus fuit. Asperum dictu, & nihilo
mitius auditu, vel uno pralio immensam hominum multitudi-
nem consumere. Consumsit autem Karolus prope Thietmelle
& fluvium Basam, alii Hasam scribunt. Vid. An. Fr. A. 783.
Aut. Vid. Karoli M. Spangenberg. A. 783. Vestigia castrorum
Karolinorum ad Hasam positorum hodieq; à Westphalis nostris
monstrantur: conf. Krantz l. 2. Sax. p. 32. Vix conventum de
pace erat, cum bellum restauratur, cum clades audiuntur,
Saxonibus prius morituris, quàm laturis jugum. Præteribo
severitatem sevitiam proximam, quam describit Abb. Stad. 782.
Nec attingam iudicium illud Uebmicum, gravissimis assertum
viris, P. Emilio Wern. Rolevicio, Abb. Spanheimensi, Anea
Sylvio, Job. Aventino, Alberto Crantzio, Erdwino Erdmanno
Felici Fabri, scriptori annal. Sæv. Davidi Cbytraeo, Bernbar-
do Furmerio, Ubboni Emmio, Henrico Meibomio, Job. Just.
Winckelmanno, altis multis. Quod si fuit, cruentum fuit &
vitii manifestum, & iniustitiæ aspersum labe. Nec nulla Wip-
ponica causa, ut postularet crudelitatis in vita Conradi Salici p.
430. edit Pistoriana. Sed debitant de ejus veritate non pauci.
Primus, quod sciam, inter recentiores dubitavit Hermannus
Conringius. Post eum novitii alii.

(x) Nempe Carolo duo curarum capita, constituere Im-
perium & propagare fidem, fidei autem præscriptione indicere
bellum. Sive quod putaret fœdus cultus Christiano Regi non
tolerandos, sive quod sibi regnoq; inde promitteret majorem
sanctitatem, sive quod augenda potentia existimaret momen-
tum. Saxones hætenus formidabiles, aut subicere Francis,
aut si subici non possint, conjungere cum suis, ut olim Romulus
Sabi-

Sabinos conjunxerat cum Romanis. Autor consilii creditus Alcuinus, qui pœne is apud Karolum, qui Aristoteles apud Alexandrum fuit,

12. Jam obfirmaverit animum Karolus belli aleam tentaturus. Nec mora. Rectà Saxoniam petit: copiæ è vestigio sequuntur. Primus in Castrum Eresburgum (y) impetus factus. Fortuna pro Francis stetit. Saxonibus destructa Irmenfula, triste spectaculum fuit. Quid facerent Saxones? Pacis consilio belli calamitatem prævertunt. Annuit Francus, quasi cruentorum certaminum jam prælagus. Locus sarcientiæ tranquillitati ad Visurgim condictus. (z) Veniunt Saxones, & datis obsidibus paciscuntur pacem. Sed fucus erat. Mox atrocius resurrexit bellum, cui gerendo datus Princeps Wittekindus, Heros sicut præpotentis auctoritatis inter suos, ita animi supra fidem.

(y) *Wittekindi ductus diu Carolo obex, Francis omnibus in oculis sudes. Ille suis ingeminare injurias, estimare acceptas clades, & exaggerare causam ultionis, verbo demùm præire & exemplo. Hinc propensa in eum populi voluntas, sequi, laudare institutum & ducendi exercitus eligere Imperatorem cœpit. Spangenberg. Chron. Sax. A. 772. 777. 778. Propterea Scriptores Franci una omnes voce affirmant, Saxones suâ suâ Wittekindi ad arma reversos. Hinc novus ille Saxonie suæ Arminius, turbator audit & tyrannus, cum revera liberator esset. Autor Ann. Fr. non erubescit nostro dicant*

scribere: scribit autem ad hunc modum. Saxones, Widicbundo Tyranno annitente, Francorum terminos usq; ad Rhenum ferro & igne devastant. Nempe olim Rhenus Christianae religionis in Germania limes erat. Jam penetrat ad Visurgim usq; & Albim.

(2) *Eresburg tractu temporis Meresburg (hodie Stattberg) sive pudoris, seu religionis causa appellatum. De eo multa annotat Meibomius, & ex eo Winkelmannus, & praecipue autor monumentorum Padebornensium p. 60. & 61. Castrum in edita rupe excitatum, & situ atq; arte, ut illa tempora ferebant, in Saxonia Cis Weserana ad fluvium Dimelam, firmum, olim à Francis, nuper à Suedis bello tricennali occupatum. Vestigia, quibus ad Irmensule sacrum aditus patuit, frequenti litantium ingressu prorsus attrita invenient, qui eò veniunt, qui videbunt.*

(2) *Ann. Franc. A. 772. Qui Tacito & veteribus Visurgis, Teutonicis scriptoribus Wisara, ut Abb. Stad. A. eod. plerisq; Wisora, Aut. Vit. Kar. M. aliis Wisuracha, Ann. Er. A. 882. Multis Wesera pariter ac Wisara scribitur, ut Regioni aliisq;. Hinc notum apud terra mensores nomen cis- & trans-Weseranarum civitatum, de quibus in historia Germanicarum rerum per differuimus exquisitè. Eò pertinent cis- & trans-Albina: in his excellit Hamburgum, celeberrima metropolis, Ad. Bremens. l. 2. H. E. cap. 8.*

13. Prout natura, sic studium erat Ducis. Ingenium militare, corpus (aa) validum & labori asyvetum. Ausus subinde egregii, usus rerum bellicarum excellens. In acie instruenda prudens, in hoste aggrediendo cautus, in sustin-

nen-

nendo constans apparuit. Si quid fecisset, cura, si expeditionem suscepisset, fortitudo perspecta est. Nonnunquam astu, interdum vi, semper manu valida utebatur. Ignavia in castris probrosa, in acie capitalis. Nec principes ipsi extra hanc fortem. Bertholdi (bb) seu culpa seu vitium morte vindicatum. Nil desideratum in Wittekindo. Dignitas, prudentia hæc magnanimitate stabilita. Imagines exemplo, exemplum in virtute ostensum. Religio pertinaciter defensa, quamdiu de meliori non constabat. Quod Karolo de Wittekindi, id Wittekindo de Karoli sacris videbatur. Uterque hic quæreret asylum: sed dispar quærentium causa, nec idem eventus. Tandem victrice Caroli Fortuna animus flexus. (cc) Occasio ex calamitate sumpta, calamitas ad æterna gradus fuit. Nempe sic bona sæpe in detrimentum, detrimenta contra vertunt in bonum.

(aa) Corporis habitum ex imagine in fano Engerand posita colligunt. Cippus ibi visitur Herois. Versus recitat, D. Chytraeus Chron. Sax. in Westph. Imaginem pingit Petrus Albinus in Chron. Misn. p. mib. 439. Balthasar Mentzius in Synzagmate, ut vocat, Epitaph. ante præfat. explicat Winkelmann. descript. Sax. Westph. p. 195. Ex imagine in cippo incisa multi jamdudum Herois animum, pravitatem singularem aestimarunt.

(bb) Spangenberg. A. 772. Bertholdus hic unus primorum gentis memoratur. D 3 (cc) Hoc

(CC) Hoc rerum statu Saxonia coaluit cum Francis. Exitus tanti belli hic fuit. Vicerat Carolus Saxones, non ut servirent, sed ut iisdem legibus, pari cum Francis jure atq; dignitate viverent. Ab hoc tempore summa utriusq; gentis invicem officia viguerunt. Ac vero in unam coivisse Rempublicam, testis est Eginhardus. Bellum, inquit, constat esse finitum, ut Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur, de vit. Kar. M. cap. 7. Eginhardum, ut alibi solet, iterum hic exscribit Adamus Bremens. H. E. l. 1. c. 7. Contra quam id proditum de Slavis est, qui subjecti Francis, non adunati dicuntur. Neq; id solum de Slavis, populo non Germano, sed etiam de ipsis Germanis eventus comprobavit. Nominatim id constat de Veteribus Thuringis, Bojis, & similibus, qui non cives, uti Saxones, sed veri subditi Francorum facti sunt, ut demonstravimus in historia Karoli M. Hinc si quid à Regibus gestum publicè est, coram populo Francorum atq; Saxonum dicitur gestum. Difertè Witichindus: qui olim socii erant & amici Francorum (erant autem Saxones) jam fratres, & quasi una gens ex Christiana fide facta est. Ann. 1. Propterea idem in rebus Imperii jus suffragii, idem in Comitibus sedendi honos. Alibi Witichindus. Omnis, inquit, populus Francorum atq; Saxonum jam olim designatum Regem à Patre filium ejus Oddonem elegit sibi in Principem. Similiter Abb. Stad. A. 936. Otto Magnus eligitur ab omni populo Saxonum & Francorum. Is Saxones praeponit, fortè non obscuro jam emulationis utriusq; gentis argumento. Vid. Wittichindus An 1. p. 16. Scilicet indomitus inter clades populus, & nullius obsequii servilis patiens: non superiori hostium virtute, sed sua tandem lassitudine, & surgente in ultionem Numine victus est. Eò spectant exempla pavoris Saxonibus divinitus incussi, apud Adonem edit. Basil. p. 210. Meliori loco fuerunt Franci, quibus aliquando aër tellusq; militarunt, apud Bunting. in Chron. Brunsv. p. 87. Hau-

27. Haussitq; ex scriptoribus antiquissimis rerum Francicar. quonquam id vix simile vero videatur ob omnes Castris Carolingicis vicinos. vid. Not. in monument. Padebornens. p. 68. De cetero verum est, quod literis mandavit Baltb. Mentzius Epitaph. Witteb. l. i. Wittekindum cessisse Carolo, sola Caroli mansuetudine allectum atq; delinitum, nulla, nec adversa, fortuna fractum. Fessus ipse Carolus est, nullum sibi, nullum Francis laboriosius bellum fuisse. Annis duravit tribus & triginta. Eginb. cit. l. Consentit Poëta anonymus de rebus gestis Car. M. Adamus Bremensis H. E. l. i. cap. XII. & l. i. cap. VII. Quonquam in codice Ranzoviano XXX. anni numero conciso, & quem vocant, rotundo expressi sunt. Ac illum sequitur Bangert. not. in Helmold. l. i. cap. III. Conf. Meibom. in Witticb. p. 44. P. Bertius rer. 2. Com. Germ. p. 239. & 303. numerat annos XXXV. Minus rectè, cujusmodi est, quod Rolandum Caroli sororis filium nulla nixus fide ibidem prodit. Wittekindus non amplius triginta annis interfuit. Hinc Monachus Corbej. Wittekindus, inquit, bellum potens gessit contra Magnum Carolum per triginta fermè annos. Septendecim expeditiones in Saxoniam susceptas memorat Spangenb. ab. A. 772. usq; ad ann. 785. Septima & decima Wittekindi ad verae fidei cultum adducti exemplum habet. Nec idem tamen genti, qui Wittekindo, animus fuit. Illa enim exacto septennio ad arma & pristinam superstitionem rediit. Wistkindus constans permansit. Egmundus A. 758. 790.

14. Defesso bellis Carolo, pacem habuit Wittekindus. Missi vicissim legati & admissi. Carolus impune veniendi fidem dedit, ac datam obsidibus sanctè confirmavit. Internuncius Amalwinus

vinus (da) idemque sopiti diffidii, & reconciliatae jam gratiae testis. Accipitur comiter, & tractatur prolixè. Sancitur inter utrosq; aeterna pax, & mutua fide firmatur. (ee) Populo quies ad recreandum ex continuo bello animum concessa. Ab eo tempore perseveravit in amicitia Karolus, in pace Wittekindus, Princeps re & nomine Magnus, & latè propagatis familiis clarus, (ff) & Ducis contentus dignitate. Posteris regnis, imperiis inaugurati, utiles terrarum orbi Principes. Quid utiles? Necessarii planè, & sustinendae rerum molli pares extiterunt.

(dd) *Aliis scribitur Aluvinus. Scriptor Vita Karol. M. Amaluvonem, Abbas Stadensis quendam Aulicorum vocat, A. 758. Abbatem, ut solet, sequitur Krantzius in Sax. l. 2. Vir enim fuit honoratus, nec inter proceres Karoli postremus. Autor Annal. Fr. refert, ad fidem Karoli venisse, id est, ut medii aevi indolet erat, fide publica à Carolo data. Regino affirmat, Wittekindum & Albionem sacramento firmatos, id est, promissi religione certos redditos, se dedisse in viam, & perrexisse ad Karolum. Unà obsides acceptos testatur Chron. l. 2. ad A. 785. Demum Karolum in pago Attiniaco (aliis Altiniaco :) convenerunt. Prater veteres vid. Ubb. Emmius rer. Fris. d. 785. & Apolog. p. 35. Turbat nonnihil & mutat Krantzius Sax. l. 2. cap. 23. A. eod. In eo quoad meminerim, omnes consentiunt, Wittekindum A. C. 785. Christi sacris initiatum. Hoc mihi indicium, Wittekindi reconciliationem, & sacrum adeo ejus lavacrum quindecim annis antecessisse Imperii Karolini dignitatem. Disceptant hic acriter, quis Hero-*

Heroem tinxerit sacro fonte. Ludgerus, an Bonifacius, an Herimbertus? Patris lustrici officium à Karolo M. impletum. Hinc Crantzius in Saxo, Rex, inquit, susceptos in gratiam jussit baptizari, ipse suis manibus Vvedekindum, honoris gratia sustollens. Revocato ex tenebris pro nigro album insigne additum à Karolo ajunt. Caterum tot laboribus perfuncto, tandem explenda mortalitas fuit. Sepulcrum, cui exuvia illata sunt, Engera positum memorat Henricus Buntingus, & cum hoc multi. Alij Padeborna tumulo conditum tradunt, ut Job. Tobias Wellerus.

(ee) Alius VVittekindi, ac multitudinis sensus. Ille civitati Francoforum ascriptus, dignitate atq; affinitate Francica amplissime auctus. Eò referri possunt Francici annales; Scriptor vitæ Karoli M. Monachus Prumiensis, Monachus Benedictinus, Aimoinus, Sigebertus Gemblacensis, Abb. Stadenfis. Cum VVittekindo fuerunt potissimi Saxonica Nobilitatis, inter hos Albion, primarius post VVittekindum, & Dux Trans Albanus, tum domestici ac gentiles ejus ferme omnes. Hac (multitudo) postero tempore exiit fidem, armis ad vindicandam superstitionem resumptis. His rebus tandem acerba victoris severitas provocata est. Ubi notem in extremo, Karolum plurimos in Saxonia Episcopatus condidisse. Laudo pietatis opus. Prudentiam agnosco. Causa destinationis occulta animi certe hic sensus erat, Religione magis Saxonum animos regi, quam armis. Vetus hoc regnandi instrumentum, & piissimis sepe principibus usitatum. Exilium quoq; pulchro Coloniæ nomine velatum. Augenda Reipublica pretextus, revera opprimendarum virium consilium fuit. Saxones in Galliam, Gallie in Saxoniam traducti. Crantzius Sax. l. 2. cap. 22. Quod intelligo potissimum de Gallia Belgica Germania Regno innexa. Hinc Beatus Rhenanus in Germaniam secundam traductos asserit, l. 1. rer. Germ. p. 141.

¶

(ff) Co.

(ff) Comites Oldenburgici ex stirpe Wittekindi. Hodierni Dania Reges ex stirpe Oldenburgica descendunt. vid. Krantzius, Reineccius, Job. Velde, Winckelmannus, in recensenda prosapia hac curiosi. Qui commentarios familiarum ediderunt, gnauiter nervos intendunt, ut confirment Wittekindum M. non solum Germania, sed etiam Gallia Italiaq; amplissimas ab se editas familias dedisse. Hic memoro 1. Saxo-nico-Wigbrechticam. 2. Saxonico-Wethinensem seu Ditgre-micam. De quibus nolim quenquam temere dubitare. 3. Ca-petinam, quae magnis in Gallia propagata auctibus est. Sed hoc praecipue in dubium vocant doctiores: exponuntq; insuper civilem rationem, propter quam ea opinio invaluerit. Wilbel-mus Nangius Monachus ex edit. Pitboean. nugae, credo, agit, dum Capetinos arcescit à Karolingis. Sed multa sunt, quae aliàs in fide illius monachi desideramus. Franciscus Hottomannus in Francog. p. 240. approbare satagit Hugonem Capetum Otto-nis I. Imp. ex Hauide sorore nepotem esse. Henricus Buntingus in Chron. Brunsvic. p. 26. tradit, Hugonem magnum, unde Gal-liae regibus origo est, descendere ex Witekindo. Addatur Chy-traeus p. 48. Et cum hoc multi. 4. Montis ferratensem, quae in I-talia creauit. 5. Allobrogicam, quae Sabaudiam decorauit. Huc di-gitum intendit auctor Candie, ut vocat, angustae p. 81. dum Sa-baudum vocat Saxonico Heroum sanguine satum. At recedit ab opinione hac, Et unà recedit à Lampadio suo Hermannus Con-ringius in notis ad eum p. 184. 6. Ringelheimicam. Haud pre-terierim hoc loco, Marchiones Brandenburgicos, ex altera, quae Marchia post Slavos praefuit, familia ortos, descendere ex posteritate Wittekindi. Quod à Georgio Sabino memoria tra-ditum pereleganter est. Conf. in vita ejus Petrus Albinus. Simul observo, Wittikindeos surrexisse, inclinantibus jam fatis res Francorum. Causa in Francis, quorum in Franciam reditus non parùm obfuit majoribus incrementis. In Ludovico IV. Arnolphi fatalis potentiae terminus fuit.

SIGHAR.

SIGHARDUS.

Dieterichus

Edelhardus,

WERNEKINUS.

Albion, Wichbertus, Hermannus, Bruno, Hafala, WITTEKINDUS M.

Wichbertus,

Wittekindus II.

Walbertus, Bruno, Fridericus, Wittekindus III. DITGREMUS,
qui caruit pro. |
le mascula. | Ditmarus.

Ludolfus.

Bruno, ab hoc Tanquardus, Otto.
Brunonis vicus.

Dieterichus,

Henricus Auceps, Rex

Dedo Fridericus.

Otto M.
Imperator

Henricus I.

Dieterichus II.

Otto II.

Henricus II.

Dedo, Timo, Marchio Misniae.

Otto III.

Henricus III.

Dedo Conradus.

Imperator.

Otto Dives, Dieterichus III, Dedo.

Henricus Illustris,

Albertus, Dieterichus IV,

Albertus, Dieterichus V.

Fridericus.

Fridericus Gravis.

Fridericus Strenuus, Wilhelmus I, Balthasar, Ludovicus Episcopus
Moguntinensis.

FRIDERICUS Bellicosus, à

Sigismundo Imp. Septemvir creatus, Fridericus Pacificus.



& postliminio reversus ad jus Saxonici Palatinatus. De Friderici matrimonio, & quod ejus nomine ipsi obvenit, vid. Wolfgangus Moller. in Orat. de vit. Bertold. princip. Henneb. in reliquis conf. P. Bertius in comment. rer. Ger. l. 2. cap. 11.

FRIDERICUS II. Clemens Elector. Continuationem alius locus, aliud institutum poscit.

I. Observo, certissimum Historiæ Genealogicæ, quatenus continuationem eamq; indubitatam seriem habentis characterem hic sumi à Wittekindo M.

II. Nota in hac genealogia sententiarum conflictus, quos recitavimus §. 6. (h) Alii enim Ottones Augustos à Brunone, fratre Wittekindi, alii à Nepote hujus nominis accersunt. Alii contra de Brunone Nepote tacent. Multi prorsus negant, Ottones à Wittekindo M. arcessendos. Quod si negant, etiam à Brunone, tanquam Wittekindi nepote, arcessendos negabunt. Sed negantibus his derogamus fidem, denegamus assensum.

III. Lis vertit nihilo minor, utrum Ludolfus Walberti filius, an ex fratre Brunone, quem allegavimus, nepos fuerit? Nobis postea arridet. Sic reddidimus familiam, familiæ seriem, prout ex animo visum. Qui alii sentiant, supra dictum.

1. Haud supervacuum duxi, illud, quod coepi argumentum, accessionibus quibusdam consummare, & quod sive utilitas, sive voluptas svadet, unam alteramve ex cognato historiæ genere controversiam expedire.

2. Incepto convenit, uti videamus de officio Augustali, quod Marescallatus, & styli Romani æmulatione in alia, atq; adeo Romano Germanica republica, Præfecti prætorio munus vocant, Cujus initia quàm altè quidam repetant, non sum nescius: ago, cui pauca dicenda sunt in hoc transcursu, sentio, non proferri ultra XII. seculū posse.

Arcef-

Arcessoq; illud ab auspiciis Friderici Ænobarbi, & quanquam concedo facilè, multò ante in Teutonorum imperatorum aulis & viguisse hoc, & obitum fuisse sacri imperii munus; tamen nego pernegoq;, prius habuisse hæreditariam legem, quàm rerum potiretur Fridericus I. Autor est Witichindus, compositis Saxoniae annalibus clarus, Ottoni I. quatuor Duces fecisse officium ritus Augustalis. Episcopus Merseburgensis fide perinde ac iudicio sincerus, memoriae tradit, Ottone III. celebrante anniversarium resuscitati Christi sacrum, splendidissimo ministerio quatuor Principes esse functos. Recenset Saxoniae Ducem, & suo exprimit nomine, affirmans, præfuisse equis, hoc est, munus Archimarescalli implevisse, sed pro illo tempore non tam perpetuo jure, quàm jussu singulari Imperatoris, & ut tunc aestimabant, argumento peculiaris beneficii ac favoris. Demùm Ænobarbi ævo profapiae additum hoc decus, & iusto ordine transmissum est ad successores. Ut nunc expeditum sit intelligere, quid fuerit, quòd ab hoc primùm tempore certæ alicujus familiae principes AB OFFICIIS Augustalibus memorentur. Scriptores ævi medii OFFICIALES signant.

3. Et id, opinor, iterùm documento est, fuisse usum ensis Mareschallici ante partam septemviri Augustalis dignitatem. Cum pro vero accipiant historiae nostræ periti omnes, seculo primùm XIII. salu-

l. 4. Conf.
Annal.
Lauterbergiani.

taribus Germaniæ initiis cœpisse definiri numero Principes, qui & nominarent & eligerent suis suffragiis imperatorem.

4. Neq; eo fecius de Rutæ insigni observare integrum est, sumsisse à principio Ascanios, & ab his transisse ad Wittikindeos, veteres illarum terrarum, respectu quarum imperatoris Friderici auspicio concessum est, hæredes.

5. Ex quo apparet denuò, Rutæ sertum usurpasse Saxoniam Duces nondum honore Septemvirum auctos. Vulgò Albertum, nos Bernhardum Alberti Ursi filium, primò hujus gentilitii insignis laude impertitum sec. XII. nominamus. Hinc Abbas Stadenfis: Bernhardus, inquit, Comes de Anehold suscepit Ducatum Saxoniam, A. 1180. Atqui eundem inaugurationis diplomata gestandi rutæ insignis beneficio affectum confirmant. Assentiuntur Albertus Crantzius Sax. I. IX cap. 19. Georgius Fabricius de Elector. Sax. in Bernard. II. cum his Spalatinus, & novissimè Spenerus in Syllog. p. 249. Sed discedunt pleriq; à nobis, & primordia gestati insignis repetunt ab Ottone Henrici Leonis nepote, alij à prioribus retrò ducibus: utriq; præter verum.

6. Etiam reperiuntur hic, qui peraudacter scribant de Saxoniam Palatinatu, & quum non habeant, quos sequantur sententiæ suæ auctores, sequi tamen se fingant. Nec dubitant, neq; in hac parte obnitimur,
ori-

origines ejus referre ad Carolingos. Namq; isthōc munere & decori imperij, & necessitati serviebatur: nec obscura est nobis ratio, nec fugit rerum Teutonicarum gnaros, cujus summa eò valet, quòd, quum Saxones in Francorum civitatem adscripti, servassent usum Saxonici juris, nec Franci à Francico recessissent, duos adscisci oportuerit Palatinos, alterum in orientali Francia, alterum in Saxoniam juri dicundo præfuturum. Sed, si quando jure hereditatis tradi cœperit, quæras, appellabo sec. XII. & unà appellabo Friderici I. largitionem. *

** Sec. XII. Septemviratus Saxonicus aeterno jure Saxoniam Palatinatui innexus, usu atq; consuetudine valuit, sec. XIV. firmatus est publica imperij lege.*

7. Burggraviatus, qui dicitur, Magdeburgicus ab Ottonis Lævo ad nostram usq; memoriam hoc nomen atq; dignitatem habuit. Prima ejus monumenta servat Cœnobium Gerundense: ad hæreditatis leges multò seriùs redactum accepimus. Quippe seculo tertio decimo adulto à dynastis Schrapelanis delat9 est ad Saxoniam Electores, duraturo ad omnes posteros jure. Transactiones super eo nostro & superiori seculo initas rejicimus in aliud tempus.

8. Desinam in Wittekindi, unde hoc opus crevit, posteris, (a) qui omnium primi Saxoniam nostram urbibus excoluerunt, & repertis auri argentiq; fodinis aureum Saxoniam seculum reddiderunt. (b)

(a) *Hos necit pulchrè monumentum Misense in templo S. A. fra sacro.*

(b) *Dit.*

34
(b) *Ditmarus Merseb. Otto Frising l. 6. cap. 24. Sigebertus A. 968. Et ex eo aut. M. Ch. Belg. p. 79. Initia repetimus ab Ottone 1. Errat hic Fabricius, qui ab Henrico Aucupe.*

9. Excutiamus II^X. & IX. seculum, arces & castella fortè pro captu seculi ædificata reperiemus, urbium à nostris conditarum nec vestigia animadvertemus. (c) Eresburgum & Sigeburgum propugnaculorum fortè speciem, non justam urbium formam habuerunt. De Vuitberg, cujus Ado (d) meminuit, satis est, indicasse, multum ab Urbium, quas sive murus, sive vallum munit, mensura abfuisse. Ut non mediocriter impingant, qui Witebergam à Witekindo M. extractam asserunt. Nam de Witbergo Adonis dici non potest à Witekindo excitatum, quia fuit ante Witekindum. Si nihilominus dicere pertendant, ædificasse Witekindum, interpretabimur licentiam fingendi, qua historici in historicis minimè omnium ferunt. Nos de cætero habeamus, monuisse, id muneris peregisse Wittekindi posteros, præsertim Henricum Aucupem, (e) & ipsius filios nepotesq; Augustos, quos signat monumentum Misene, & Tabulæ, quas à seculo X. asservant nostri, sanctiores.

(c) *A. Fr. passim.*


(d) *Ac. 727.*

(e) *Witechindus secul. X. Eresburg. Et Werlaon, in Urbibus numerat, Annal. I. p. 8. Et 10. Abb. Stadenf. A. 971. Magdeburgum commemorat metropolin inter Albiana Hamburgum enim sec. IX.*

A. 810. Castellum, 833. civitas (non Urbs) transalbina memoratur. De Vesperanis alibi dicetur.

10 (0) 20

W. H.



2530

2530

Handwritten text from the adjacent page, including letters like 't', 'i', 'f', 'n', 't', 'D', 'n', 'A', 'D', 'b', 'n', 'c', 'f'.

